



ETho ex illustri familia comitum Brisgauriæ natus fuit. eū parentes capescendi ingenij, cultus causa, in Monasterium Gregorianæ uallis collocarunt. In eo loco cum plurimum profecisset, atque interea nobile monasteriū Diuitis Augiæ fundaretur, ipse ob plurimas uirtutes eius loci Abbas designatus est. Ibi per septē annos magna integritate præfuit, atq; omnia decēti ordine administrauit. Cum autem Vuandelfridus Argentinenſis præsul mortuus esset, atq; eius doctrina & pietas ubique innotesceret, à Pipino Francorum rege, anno 775, eius loci Episcopus constitutus est. Eam functionem Etho modestè suscepit, & mira dexteritate administrauit.

Tandem uerò anno octauo gubernationis decessit, atq; Audulpho suam Ecclesiam commendauit. Anon. in Episcop. Argentinenſib.